



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

**Parisiis, 1644**

Epistola II. Martini Papae I. Ad Amandvm Traiectensem Episcopvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15300**

adhuc viuens, Constantinopoli cuidam per orationem lumen restituerit. Gregorius II. eius nominis pontifex in epistola ad Leonem Isauricum imperatorem hæreticum, hæc de sancto Martino post alia subiungit. *At beatum Martinum esse sanctum testatur ciuitas Chersonensis & Bosphori, in quam relegatus est; & totus septemtrio atque incola septemtrionis, qui ad sepulcrum eius confluunt, & morborum curationes experiuntur.* Refert Baronius anno 654. num. 6. se a viro quodam maxime pio & fide integro accepisse, quod in hanc vsque diem memoria sancti Martini papæ a Græcis adhuc frequenter; quodque populus frequenti cœtu ad sepulcrum eius confluens, gratias curationum accipiat, & alia iusta petita impetret. Probabile est, quod dum corpus eius Romam translatum fuit, Chersonenses vnam partem ipsius sibi asseruarint.

Anastasius  
emendatur.

<sup>h</sup> *Fecit ordinationes duas per mensem Decembrem.* ] Vnam tantum ordinationem mense Decembri fecisse potuit, quem primo tantum anno pontificatus sui mense Decembri Romæ habitasse, ex iis quæ supra dixi, constat. Anno enim secundo pontificatus sui Roma abductus, reliquos annos exegit in exilio, vt patet supra. Baronius prædicto anno num. 2.

Quamdiu  
fedes vaca-  
uerit.

<sup>i</sup> *Cessauit episcopatus eius dies 28.* ] Non est probabile quod tam breui temporis spatio obitus sancti Martini Romam perferri potuerit. Vnde quod in aliis codicibus abest, huic subrepsisse videtur.



EPISTOLA I.  
MARTINI PAPÆ I.  
AD OMNES FIDELES.

*Damnat hæresim Monothelitarum, & acta Synodi exponit,  
monens vt in fide catholica persistant.*

GRATIA vobis & pax multiplicetur in agnitione & communionem sancti Spiritus, &c. *Extat infra in Concilio Lateranensi sub Martino papa in fine consultationis 5.*

EPISTOLA II.  
MARTINI PAPÆ I.  
AD AMANDVM TRAIECTENSEM  
EPISCOPVM.

*Dilectissimo fratri Amando Martinus.*

FRATERNITATIS tuæ studio pietatis congestam epistolam suscipientes, animos nostros releuari cognoscimus, &c. *habetur infra in Concilio Lateranensi secretario 5.*